AD

AUDIENDAM ORATIONEM

DE

RATIONIBUS QUIBUS SUCCESSIO IN BONA DEFUNCTI NITATUR

PRO ADITU MUNERIS PROFESSORIS ORDINARII

IN ORDINE ICTORUM

DIE VII. NOVEMBRIS H. XI. IN AULA VICARIA

HABENDAM

OBSERVANTISSIME INVITAT

EDUARDUS PUGGÉ

UTRIUSQUE IURIS DOCTOR.

Insunt observationes duae de iure civili.

BONNAE

TYPIS CAROLI GEORGII

MDCCCXXXI.

OBSERVATIO I.

Defensa codicis lectio in Ulpiani tit. 1. §. 12.

Lege Aelia Sentia cautum esse Ulpianus ait, ut minor triginta annorum servus vindicta manumissus civis romanus non fiat, nisi apud consilium causa probata fuerit. Hic ubi quaeris, quid secutum fuerit, si contra legem Aeliam Sentiam minor triginta annorum servus manumissus esset, illa Ulpiani verba, quae leguntur Fragm. tit. 1. §. 12, locum habent.

»Eadem lege (i. e. Aelia Sentia) cautum est, ut minor triginta annorum servus vindicta manumissus civis romanus non fiat, nisi apud consilium causa probata fuerit; *ideo sine consilio manumissum Caesaris servum manere putat.*«

In his vox *Caesaris* editores offendit, eosque ad varia emendandi pericula excitavit [1]). Equidem censeo codicis lectionem non esse loco movendam.

Alio loco [2]) probasse nobis videmur, quaecunque coram magistratu solemniter acta sunt, quoad fieri possit, servanda esse. Hinc si proficiscimur facile, quo volumus, perveniemus. Rem exemplo illustrabo. Stichus minor triginta annorum servus sine consilio a domino suo Titio vindicta manumissus, libertatem assequi non potest, quod lege Aelia Sentia prohibetur, sed manumittenti omne in Stichum ius praetoris decreto, quod dominicam potestatem tollit, plane abindicatur. Eiusdem generis exemplum habes in illis, quae narrat Ulpianus de servo communi Fragm. tit. 1. §. 18.

---

1) Cfr. Schilling. animadvers. crit. ad Ulpiani fragm. p. 44. seqq.

2) *Rhein. Museum für Jurisprudenz* Tom. I. p. 149 et 150.

»Communem servum unus ex dominis manumittendo partem suam amittit, eaque adcrescit socio; maxime si eo modo manumiserit, quo, si proprium haberet, civem romanum facturus esset. Nam si inter amicos eum manumiserit, plerisque placet eum nihil egisse.«

In hoc quoque loco manumissus non fit civis, quoniam unus ex dominis non tota libertate communem servum donare potest, et quamquam neque ex parte liberatur servus, tamen manumittens, cum iure suo solemni modo plane abdicaverit, ex iuris ratione dominus esse desinit. Abdicatio utrobique ex eadem ratione valet, manumissusque in servitute manet. Ulpianus igitur, qui de effectu manumissionis, contra legem Aeliam Sentiam vindicta factae, narrabat, dicere debebat manumissum libertatem non adipisci, itaque ait: — »servum manere putat.« Sed hoc nondum sufficiebat, imo addendum erat, cuius iniuste manumissus fieret servus, cum in prioris domini potestate abdicationis causa factae manere non posset, idque Ulpianus quoque adiecta voce Caesaris significasse nobis videtur.

Scio, lector benevole, contra sententiam nostram dubia nonnulla te prolaturum esse, quae quum pro viribus removere studeam, rem accuratius explicare mihi in animo est. Dixeris igitur forsitan, me quidem probasse eum, qui contra legem Aeliam Sentiam manumissus fuerit, servum manere dominumque potestatem amittere; non probasse, servum fieri Caesaris; evenire enim posse, ut servus sine domino fieret, sicut is in quo alterius est ususfructus, alterius proprietas, quique a proprietatis domino manumittitur, liber non fit, sed servus sine domino est [3]).

Hanc dubitationem adiment verba Gaii lib. I. §. 27., quibus iureconsultus, si quis contra simile legis Aeliae Sentiae institutum peccasset, servum manumissum ex eadem lege Populi Romani servum

---

3) Ulp. tit. I. §. 19.

fieri narrat. Non difficile est rationem, cur lege Aelia Sentia haec cauta sint, invenire; quippe ex ipsius rei natura sequi videtur, ut servus, qui contra instituta, ad publicam utilitatem data, manumissus sit neque domini sui servus manere possit, poenae causa publicetur. Exempla non valde dissimilia in Codice Iustiniano et Vaticanis Fragmentis reperiuntur [4].

At, inquies, in codice Ulpiani ipso non legitur Populi Romani servum manere, et teste Gaio, in exemplo supra allato lex servum iniuste manumissum Populi Romani esse iussit. Habeo, quod respondeam: Ulpiani enim temporibus discrimen inter aerarium Populi Romani et Fiscum exoletum fuit [5], atque scriptor non ipsa legis verba, sed eius argumentum tantum retulit, idque verbis, quae sua aetate usitata erant, fecit.

Alium fortasse scrupulum et, quae sola restat, dubitationem nobis iniicere potest, quod Ulpianus non dixit Caesaris servum fieri, sed manere. Sed suspicari licet, Ulpianum, qui hoc dicere vellet, manumissionem non sequi libertatem ideoque manumissum servum manere, non accurate locutum fuisse. Nam quae contra verbum putat afferri possunt, transeo, quum de his iam Schultingius [6]) et Schillingius [7]) disputaverint.

OBSERVATIO II.

De Usureceptione ex praediatura.

Qui nuper scripsit de temporis praescriptione*) ait: *Erst aus den ächten Institutionen des Gajus haben wir gelernt, dass es sogar*

4) Vat. Fragment. §. 6. Tit. Cod. de serv. export.

5) Cfr. Ulpian. fragm. tit. XVII. §. 2.

6) ad h. Ulp. l.

7) in animadverss. critic. p. 45.

*) Unterholzner *ausführl. Verjährungsl.* Tom. 1. p. 324.

noch zur Zeit der Digestenschriftsteller einzelne Fälle gab; in denen auch der unredliche Besitzer durch Usucapio Eigenthum erwerben konnte. Der erste Fall tritt ein bey der Usucapio pro Herede — der zweyte bey der Usureceptio. Sie kommt in einer doppelten Anwendung vor 1) bey der Veräusserung Fiduciae causa, 2) bey der Usureceptio ex Praediatura. Quae divisio falsa nobis esse videtur atque impedire, quominus verba Gaii, quae sunt libr. II. §. 61. [1]), recte interpretemur. In utroque loco, quem refert Unterholznerus, usureceptio est, quae nititur fiducia. Si quis rem alicui fiduciae causa mancipio dederit, vel in iure cesserit eandemque possederit, potest usucapere, licet alienam esse sciat, anno scilicet, etsi soli sit, quamvis in rebus mobilibus biennio usucapio compleatur. Mirum, quod Gaius, qui paulo ante rationem attulit, quare in usucapione pro herede soli rerum annua constituta sit usucapio, hic de diverso temporis spatio tacet. Usureceptionem constitutam esse putamus, ut creditor, maiore adhibita diligentia in re fiduciae causa sibi tradita conservanda, legi mancipationis accuratius satisfacere possit; quam coniecturam firmant illa Gaii verba: »nondum vero soluta ita demum competit, si neque conduxerit eam rem a creditore debitor, neque precario rogaverit, ut eam rem possidere liceret; quo casu lucrativa usucapio competit.« Ex eadem ratione illud breve temporis spatium explicari potest. Infra rem afferemus, quae nostram coniecturam planiorem reddat.

In usureceptione ex praediatura non erat circumcisum illud tempus: quae fuit causa cur Gaius separatim de hoc usureceptionis genere dixerit. Ex Unterholzneri sententia putares sermonem non esse §. 61. de fiducia atque ita hic usureceptionis modus vix intelligi potest.

---

1) »Item si rem obligatam sibi populus vendiderit, eamque dominus possederit, concessa est usureceptio, sed hoc casu biennio usurecipitur et hoc est, quod vulgo dicitur, ex praediatura possessionem usurecipi. Nam qui mercatur a populo, praediator appellatur.«

Res, quam Gaius illo loco exponit, haec est. Titius vel pecuniam ex aerario mutuam sumsit vel vectigalia conduxit, Populoque Romano rem obligavit: postea iterum rei possessionem nactus est, sed quia nondum soluta erat pecunia, Populus rem sibi obligatam vendidit, quae venditio, debitore rei possessionem non amittente, magistratus addictione fieri potuit. Nisi Populus Romanus, cuius res nemo usucapere potuit [2]), creditor fuisset, prior fortasse dominus (hunc enim intelligi voluit Gaius, quum dicit *dominum*) rem usucepisset. Venditione vero publice facta, qua Populus Romanus, dominus esse desinit, usucapio procedit, non autem anno praeterito, sed ut Gaius dicit, post biennium completur. Quodsi regula illa, ex qua primum usureceptionis genus uno a n n o completur, similem causam haberet, atque ea, quae a Gaio in usucapione pro herede refertur: vix credi potest, Romanos ab illa regula in usureceptione recessuros fuisse; sin temporis mutatio, sola utilitatis ratione habita, recepta fuit, facile explicari potest, cur eadem ratione iureconsulti ad consuetum in rei immobilis usucapione tempus reverterint; nimirum quo rarius ex praediatura possessio usureciperetur, reique obligatae maius pretium statueretur. Quodsi aliter censeas usureceptionemque in re a Populo Romano pignori accepta non ex ipso negotio nasci contendas, profecto non intelligo, unde in hoc loco usureceptio venerit: nam valde dubito, num aerarium reipublicae incommodo debitoribus suis faverit, atque perspicuum est, periculo, quod usureceptio praediatoribus affert, rei obligatae pretium minui.

Unterholznerus [3]) dicit »*die* U s u r e c e p t i o *findet auch statt, wenn eine Verpfändung an den Staat erfolgt, und das verpfändete Grundstück von Staatswegen veräussert worden ist, insofern nämlich der Besitz, von dem Käufer* (praediator) *wieder an den vori-*

2) N i e b u h r *Römische Geschichte* edit. pr. Tom. II. p. 361.

3) l. l. p. 325.

gen Eigenthümer gelangt ist.« Vir doctus credere videtur praediatores venditione a Populo Romano facta possessionem necessario acquisivisse. At non dubitari potest, quin haec venditio praeside magistratu eiusque addictione peracta sit, quem ad actum rem ipsam praesentem esse minime oportebat, neque hoc negotio emtores possessionem acquirebant. Equidem prorsus aliter sentio mihique Gaius illam possessionem, quam prior dominus iam ante venditionem factam nactus erat, significare videtur. (»Item si rem obligatam sibi populus vendiderit, eamque dominus possederit, concessa est usureceptio«). Si Populus Romanus pignus vendiderit posteaque creditor possessionem amiserit, profecto iterum possessione ab eo recuperata communia de usucapione praecepta valuerunt. Quae res si aliter se habuisset et contra praediatores in infinitum usureceptio competivisset, in eadem conditione fuissent, qua heres, si in re hereditaria, cuius possessionem amisisset, pro herede usucapio concessa fuisset. Quod vix credo cuiquam harum rerum perito probatum iri.

Hac autem scriptione id solum egimus, ut hae chartulae, quibus ad audiendam orationem nostram invitamus, ne vacuae ab omni doctrina essent. Neque sane deerant nobis loci eiusdem generis, de quibus non sine fructu disciplinae nostrae, ut nobis quidem videmur, disputari hic liceret. Sed prolixiorem commentationem nec tempus concessit, nec legentium studium, si bene auguror, requiret. Et iuvabat adeo, verum ut fatear, periclitari, si forma ipsa scriptionis brevitate virum, qui proxime ad eandem solennitatem invitavit, superare possem. Itaque ut orationi frequentes adsint eamque praesentia sua decorent meritissimi Academiae professores, ornatissimi commilitiones et omnes, qui studiis nostris favent, decentissime rogo.
